S. D. Hodie tuas accepi, Blaurere in Dño charissime: quas ad me 12 Januarij ~~accepi~~ scripsisti. Sic sunt hec tempora, ut amicorum literae vix integro mense tam modicum itineris spatium conficere queant. Et utinam hec sola iam incommoditas obtineret: verum cum innumera alia multo incōmodiora ingravescant quotidie, facile possunt hec qualiacunque molesta reliquis collata perferri. Quicquid sit, habeo dilectioni tuae ingentes gratias, quod ad me tam fuse tamque amanter scripseris. Non possum non culpare stupiditatem illam meam, qua fit, ut in hac rerum cum humanarum tum divinarum perturbatione admodum aegre ac tarde ad fratres scribo, quos tamen in Dño diligo ac veneror. Est quidem aliquid rationis, quod non facile, non quibuslibet non quibusuis, sed aegre et cunctanter magnaque cum cautione literas scribo: poteram tamen loci opportunitate ac vicinitate fretus saepius ad te et D. Thomam germanum tuum, virum piissimum scribere. Sed ut nonnihil, nescio quo stupore sic interea perculsus et obtusus fui, ut plane non liberet aliquid vel legere vel scribere. Non potui, nec hodie possum, memoriam rerum excutere, quas ipse multa coram vidi, et amarissimo sensu biennio elapso experiri coactus fui. Horum me recordatio, nolim velim, vehementer ac sic perturbat, ut immaturam Mortem, si sic Dño videretur, magni beneficij loco amplecterer. Sed ferendum est et hoc genus molestiae, cuius patientia fructu suo non caret.

Ceterum de causis, ob quas tibi vocationi Bernensi acquiescere integrum non fuit, iam antea ex Dño Bullingero accepi: Optassem tamen tantum fuisse tuis et quantum Ecclesiae Bern: rebus commodam hanc vocationem. Iam quoniam illi non res obsequuntur, opera ac studio Halleri nostri translata est ad me. Sum enim 13 huius a Senatu Bern: vocatus, cui sic morem volente Dño geram, ut primum illo migrem, et coram videam et audiam ad quid opera mea et quibus conditionibus uti velint. Te interea per clarum vincam Servatorem et communem nostrum Dnm oro et obtestor, ut in precibus tuis mei memor esse velis. Non ignoras quantae molestiae res sit homini ignoto et peregrino, in ea versari Ecclesia, quae tam misere et contentionis spiritu turbata et discerpta.

Emi hic responsionem Calvini contra infaustum illud et abominandum Interim, cuius apud me iam sunt, praeter illud quod mihi servo, duo exemplaria. Dabo illa M. Henr: Bull: ut ad te per occasionem mittat. Tu illis vtere, vel bonis viris vnum tradito, sicuti

videbitur. Conservet te Dño et tueatur adversus impiorum hominum furias. Salutem opto fratri germano, et universo contubernio vestro: et D. C. Zuiccio quoque. Salutant te mei omnes ex animo. Opt. vale. Tiguri 15 febr. 1549.

W. Musculus tuus in Dño.

Ornatissimo viro, ac fidelissimo Christi ministro, D. Ambrosio Blaurero, Dño ac fratri longe charissimo.

15 Feb. Anno 49.